



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,  
Et Charitate

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

10 An tenearis voto, promissione, vel iuramento, si dubites habuisse  
animum iurandi, aut promittendi, vel vouendi?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

teneri, si facta diligentia vincit dubium non potest, ita Soto lib. 7. de iustit. quest. 3. art. 2. Gratius decif. lib. 2. cap. 31. in fine. Henriquez lib. 11. de matrimon. cap. 1. num. 5. & lib. 8. de Eucharist. cap. 45. num. 3. in comment. litt. P. Man. tom. 1. sum. cap. 99. n. 5. Saá edit. Complut. & Rem. verb. dubium, n. 1. Reginald. in pract. 1. 2. lib. 18. n. 176. Villalob. tract. de conf. diff. 2. 1. Thom. Sanch. alii allegatis lib. 1. de matrim. disp. 9. n. 11. & lib. 2. disp. 41. n. 32. & in Decal. cap. 10. n. 36. & lib. 4. cap. 1. n. 16. Ioan. Sanch. alii allegatis disp. 43. n. 1. Kebell. de iust. p. 2. lib. 1. q. 2. n. 15. §. qua etiam ratione. Suar. 5. tom. in 3. p. disp. 40. sect. 5. n. 15. laus tom. 2. de relig. lib. 4. de voto, cap. 5. n. 7. Salas supra, quoties votum est de re molesta, & onerosa, vt fere semper contingit, fauetque Glossa in cap. ex parte de censibus.

Ratio est, quia videtur iniquum cogi promittentem ad certam solutionem, quin probetur promissor extitisse. Quare in foro externo, & iudiciali nemo promissis cogitur stare dum de promissione non constat: si enim aliquid volenti nubere, obicitis vouisse castitatem, dum non probas votum, non cogitur à matrimonio desistere. Ergo neque in foro conscientie cogendus est votum seruare, si in illo foro conscientie non constat. Item vbi tractatur de obligatione contrahenda, faciendam est stricta interpretatio, ex l. quidquid adstringendi, ff. de verb. obligat. & cap. 1. de iureiur. in 6. fauetque reg. 11. de reg. iur. in 6. Vbi partium sunt iura obscura, reo fauendum est, potius quam auctori. Cum ergo vouens, & promittens reus sit, illi in casu dubij fauendum est.

Hæc ratio probat te non esse obligatum, etiam si propendeas magis te vouisse, dummodo semper maneas dubius, sic uterque Sanchez supra. At si probabile tibi sit vouisse, & de contrario solum sit formido, neque vales assensum præstare, tenetis promissione, quia iam est moraliter certum, te debito rem esse. Si autem pro utraque parte probabiles rationes habeas, poteris sequi, quam malueris, vt de se constat, sic Thom. Sanch. de sponsal. disp. 9. n. 11. fine. Suarez lib. 4. de voto cap. 5. n. 5. Ioan. Sanchez disp. 43. n. 2.

Ad primam oppositam sententiam respondet optimè Suarez supra num. 8. & seqq. illam regulam. In dubiis melior est conditio possidentis, non solum in materia iustitie, sed cuiuscunque virtutis habere locum. Tum quia iura ex quibus desumitur, sine vlla restrictione loquuntur, & constat ex reg. in parte 65. de reg. iur. in 6. Tum etiam, quia quilibet habet ius latè sumptum circa suas proprias actiones, vt possit illas liberè, & sine obligatione exercere. Ergo dum non probatur, illas debere, pro libertate stat. presumptio.

Ad secundam, neque in dubio iuris, neque in dubio facti, si dubium speculatiuum sit, obligationem esse semper sequendi partem tutiorem, sed id esse conuenientius. In materia autem irregularetatis, homicidij ob specialem reuerentiam rerum sacratarum pars tutior sequenda est, vt diximus.

## PUNCTUM X.

An tenearis promissione, voto, vel iuramento, si dubites adfuisse animum promittendi, vel vouendi.

- 1 Oriari potest dubium ex verbis, & ex intentione.
- 2 Si dubium oriatur ex verbis, non tenetur.
- 3 Si oriatur ex intentione, proponitur ratio difficultatis.
- 4 Resoluitur te esse obligatum.
- 5 Apponitur quadam limitatio de iuramento metu extorto. Sed non approbatur.
- 6 Si dubites, an cum ambiguitate illo in casu iuraueris, non tenetur.

**P**otesť hoc dubium oriri ex duplici capite, Primò ex eo quòd verba prolata ambiguum sensum habeant, cum aliquando accipiantur in sensu verè promissorio, & aliquando non: aliquando denotant promissionem veram, aliquando propositum: aliquando denotant iuramentum, aliquando simplicem assertionem, vt si dicas: Per fidem, vel conscientiam meam hoc faciam. Secundo oriri potest dubium ex intentione, an scilicet habueris intentionem promittendi, vel solum simulandi.

Et in primo casu affirmito perseuerante dubio te voto, iuramento, aut promissione non teneri. Quia tunc dubium est, an sit votum: in quo casu fauendum esse libertati diximus, & meo iudicio, de iuramento decifum est in cap. clericus, de iur. iurando, vbi clericus qui iurauit seruare statuta sue Ecclesie, pœnitenti iuramento, aliud denuo statutum factum est, promissisque per idem iuramentum factum, se seruaturum nouum illud statutum, Et respondet Pontifex. Licet transgredi non debuisset, quod promissit, non tenetur ad illius obseruantiam ex debito pœnitenti iuramenti, cum tamen dubium esset, an iuramentum antiquum ad præsentem materiam extendereť & ita docet Suar. tom. 2. de relig. lib. 2. de iuram. cap. 33. num. 3. & lib. 4. de voto cap. 6. num. 2.

De secundo casu, quando verba probata non patiuntur dubiam significationem, sed certam, & dubitatur, an habueris intentionem iurandi, promittendi, & vouendi, vel potius simulandi; vt dubitas, an serueris promissionem, votum, vel iuramentum obligare; alicui possit videri in tui fauorem faciendam esse interpretationem. Quia possides tuam libertatem, dum non constat ligatum fuisse; ac tunc dubius sis de intentione promissionis, non tibi constat ligatum esse, quia non constat de voto, iuramento aut promissione, quæ ad eorum constitutionem, & essentiam requiritur intentionem. Et confirmo. Dubius an sit imposta lex, vel an factum fuerit votum, lege, & voto non tenetur, sed qui dubitat de intentione, dubitat de voto, promissione, & iuramento, cum sine intentione non sint. Ergo non tenetur.

Nihilominus in hoc dubio tenendum est pro certo te obligatum esse promissione, voto, & iuramento. Primò, quia delictum præsumi non debet nisi probetur, ex cap. abfit, 11. quest. 3. ibi, abfit vt quidquam finitum de his arbitrium qui Apostolico gradu succedentes. Christi corpus sacro ore confitentur; & tradit Vlpian. in l. merito, ff. pro socio, & ibi Doctores, & abundè confirmat Menochius consil. 99. n. 12. consil. 82. num. 105. & con. 10. n. 54. Alciat. in tract. de presumpt. regul. 3. presump. n. 1. Mascard. de probat. verb. delictum, conclus. 496. n. 1. Si autem in tali dubio animus adfuisse præsumatur, iam delictum præsumitur. Ergo non est præsumendum adfuisse. Secundo verba signa sunt intentionis, dum contrarium non probatur; nemo enim dicere præsumitur, quod non sentit, l. Labeo 7. ff. de suppellect. legat. quo loci Cellus ex Tuberonis sententia dixit nomina esse, vt demonstrant voluntatem dicentis, & quemquam non dicere, quod non sentit; & tradit Bald. in cap. mandatum, de prescript. in princ. & in rubr. de testib. & in l. voluntas, C. de fideicommiss. & multis allegatis Menochius de presump. lib. 6. presump. 35. à n. 2. & lib. 3. presump. 1. à n. 37. Tiraque. l. si unquam, verb. libertas, n. 17. & seqq. Ergo dum non probas defuisse intentionem præsumendum, in est verbum te habere. Tertio probato facto præsumuntur adfuisse omnia requiritia ad illud, vt docet Thomas Sanchez lib. 2. de sponsal. disp. 9. num. 13. ex Panormit. in cap. 1. de his, que vi, num. 9. & ex cap. in presencia de probat. vbi probata professione, præsumitur profitemens habuisse legitimam ætatem, & neganti incumbit onus probandi. Ergo cum constet de promissione, voto, & iuramento, præsumi debet animus requisitus adfuisse; & ita tenet Suarez loquens de iuramento, lib. 1. cap. 33. n. 4. & lib. 4. de voto, cap. 6. num. 4. Thomas Sanchez lib. 1. de sponsal. disp. 9. num. 13. Nauar. lib. 3. consil. tit. 34. de voto, consil. 4. in fine. Corduba sum. q. 147. Syluest. iuramentum 4. q. 7.

Supradictam doctrinam limitant Panormitanus in cap. se verò, de iureiur. in fine, & Angel. verb. iuramentum 5. n. 10. Syluest. iuramentum 4. quest. 7. dicto 4. Scraphin. de priuileg. iurament. priuileg. 110. n. 16. vt non intelligatur de iuramento iure extorto. De hoc enim dicunt, in casu dubio non præsumi iuramentum habuisse intentionem iurandi, aut se obligandi. Quia cum habeat sufficientem causam dissimulandi intentionem ob violentiam sibi factam, potest ius præsumere talem simulationem adfuisse.

Limitatio mihi non probatur, quia præsumere simulationem in iurante, est præsumere delictum, cuius præsumptio vitanda semper est, præcipue cum non cedat in fauorem promittentis, cui magis faues affirmando esse obligatum promissione, quam esse delinquentem ex simulatione. Et ita tenet Felin. cap. si verò de iureiur. in fine. Alex. ibid. num. 42. Imola in cap. ad audientiam, de his, que vi, num. 5. Couart. 2. part. c. 3. num. 3. fine. Gutier. de iuram. 1. p. cap. 57. num. 20. Suarez lib. 1. de iuram. cap. 33. num. 6. Thomas Sanchez lib. 1. de sponsal. disp. 9. num. 13.

Aduertit tamen, & bene Suarez n. 6. circa finem, si dubius sis, an cum ambiguitate verborum, vel restrictione mentis iuraueris, te non teneat iuramento, quia tunc dubius es de iuramento. Neque in tali casu præsumitur te delictum commisisse, cum habeas sufficientem causam æquiuocatione vtendi. Vt autem tale dubium cum fundamento habere possis, debes prius nosse illos occultandi modos, alias quomodo confugere posses ad restrictionem, si restrictionem apponere ignorabas.

## PUNCTUM XI.

An tenearis promissione, voto, vel iuramento, si dubites adfuisse deliberationem.

- 1 Ex quibus causis desisse possit deliberatio.
- 2 Ex impedimento atatis non desumitur efficax argumentum ad annullandam promissionem.
- 3 Dubius, an expleueris septennium existimat Thom. Sanchez te debere reputare expleuisse.
- 4 Probabilitate non caret opprobrium.
- 5 De dubio orto ex somno, ebrietate, vel phrenesi.
- 6 Quid sentiant Thomas Sanchez.